

Dissertationes in hoc volumine contentae.

1. Positiones quaedam iuridico-politicae dubias quas praesentavit Henrico Grosse, J. V. D. publico venientiam commissis Jacobo Clemens. Vratislaviae. Siles. Wittebergae.
2. Conclusiones aliquotae propositae a Daniele Kahl J. C., et defensas a Gottholdo Martini J. C. Heidelbergae.
3. Positiones et inculpatae tutelae, quas disputandas proposuit Leopoldus Haselmann J. V. D. Resp. Bernhardus ab Arnim B. Eq. March. Lipsiae.
4. Dissputatio et factis, quam praesentavit D. Wilhelmus Schmuken et defendit Wilhelmus Müller. Hamburgi Lipsiae.
5. Dissputatio ad l. Transigere. 18. C. et Transactionibus, quam Conradus Casp. Eovig J. V. D. Resp. Christiano Casp. Eovig Collic. Misn. Wittebergae.
6. Positiones ex eadem l. 18, quas placida collatae subiecit Franciscus Romang. J. V. D. Resp. Christiano Brandenstein. Lipsiae.
7. Assertiones de servitutibus realibus, quas examinandas proposuit Friedrichus Georgij. J. V. D. Resp. Philippo Lockmann. Borussia. Lipsiae.
8. Dissputatio et dolo, quam praesentavit Valentinus Thiemero J. C., publico examini subiecit Augustus Kölyer. Hannover. J. C.
9. Dissputatio et Probationibus, quam praesentavit Conrado Casp. Eovig J. V. D. publico examini exhibuit Henricus Schabbeke. Wismar. Meiss. Wittebergae.
10. Dissputatio et Fidei Testamento, quam praesentavit Orosolpho Formanno J. C. mis Johannes Christophorus Aremann. J. C. J. C.

*DISPUTATIO JURIDICA*  
De  
**TESTAMENTIS**  
ORDINANDIS,

*Quam*  
DEO DUCE ET AUSPICE  
*In Florentissimâ Academiâ VVittebergicâ*

SUB PRÆSIDIO  
VIRI  
CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI

Dn. CHRISTIANI *Krembergs*  
J.U.D. Præceptoris & Fautoris mei honorandi

*Exercitii gratiâ defendere conabor*

ZACHARIAS KRAUSE

Reichenbachio-Silesius.

*ad diem IX. Kalend. Febr. Anno M DC XXVIII.*



WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH.





IN NOMINE DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI,

*Ad omnes actus omniaq; consilia progredimur*  
*l. 2. C. de offic. prefect. prat. affr.*

THESIS I.

**T**estamentum (a) à testatione mentis (b) dictum, pr. J. h. t. est voluntatis (c) nostræ (d) iusta (e) sententia, de eo, quod quis (f) post mortem suam (g) fieri velit. l. 1. ff. qui testam. fac. poss.

(a) Quod aliàs contestatio suprema l. 20. §. ult. ff. qui test. fac. poss. vel judiciorum suorum contestatio. §. 13. f. h. t. item supremum iudicium. l. 5. ff. testam. quemadm. aper. suprema voluntas. l. 1. in pr. ff. ad SC. Trebell. suprema vota. l. 23. in fin. C. de testam. ultima dispositio l. 8. & l. 28. C. eod. postremum iudicium l. 4. C. eod. ultimumq; elogium l. 35. in fin. & l. ult. C. de inoff. testam. appellatur; Et quatenus supremam dispositionem seu voluntatem significat, iuramentum adscribitur; quatenus autem consideratur, ut Testamentum, hoc est, titulus acquirendi dominium universalis, rationeq; effectuum, tunc tam ratione originis, quam ratione formæ suæ & confirmationis ad jus civile rectè refertur Dn. Forster. disp. 12. th. 3. Clariss. Dn. D. Blotius precept. meus honorand. in praelectionib. ad hunc t. Instit. Consultiss. Dn. Pras. in tr. de Actionibus ad pr. n. 34. p. 26. & disp. 7. th. 2. Estq; publici, non privati juris l. 3. ff. qui testam. fac. poss. (b) Notatione non Grammaticâ sed Logica, hoc est, non quæ litteras numerat & syllabas metitur, sed quæ rem ipsam in- tueretur. Juri enim imitantur Stoicos, qui rerum magis, quam verborum curam gerunt. vid. Vult. hic & Arum. exerc. 7. th. 1. (c) de quâ, ut constat, oportet: Voluntas enim cum facti sit, non præ-  
A 2 sumi-

sumitur, ex vulgatâ Dd. regulâ, quod facta non præsumantur, nisi probentur & hinc etiam patet, quod verba enunciativa, quibus aliquid affirmatur vel negatur, inepta sint ad testamentum, sed requirantur dispositiva *l. verba. 6. ibi Dd. C. qui testam. fac. poss.* item, quod testamentum ratione voluntatis imperfectum, nullo modo subsistere possit. *Mynsing. cent. 5. obs. 28. Gail. 2. obs. 112. n. 12.* Quamquam hâc imperfectione laborare testamentum, nisi probetur, non præsumatur. Ut enim nemo censetur dicere, quod non sentiat, ut maximè nomine usus sit, quo id appellari solet. *l. 7. §. 2. ff. de supel. legat.* ita nemo hâc in parte præsumitur plus premere in corde, quàm ore promittit. (d) Testamentum enim ex alieno arbitrio pendere non debet *l. 1. l. nonnunquam 52. ff. de condit. & demonstr.* Unde concludo irrationabile esse statutum, quod disponit, uxorem sine consensu mariti testari non posse. *Gail. 2. obs. 117. n. 1.* Neque testamentum ad alterius interrogationem conditum valere puto. Pro formâ enim in testamento requiritur, ut heredis nomen proprio ore à testatore exprimat. *l. jubemus. C. de testam. Clariss. Dn. Præses d. loc. th. 12.* (e) hoc est, non sollemnis tantum, ut Duarenus putat, nec perfecta, ut alii, sed legitima, omniq; ex parte secundum legum præscripta expedita. *arg. pr. §. de nupt. & l. 3. ff. pro Socio.* (f) ad differentiam contractuum, ubi duorum consensus requiritur. *l. 1. §. 3. ff. de pact. l. 3. in pr. ff. de pollicit.* (g) Viventis enim nulla est hereditas. *l. hereditas. 62. ff. d. R. §. l. hereditatis appellatio ff. d. V. S. & testamentum ante mortem testatoris nullam vim habet. cap. cum Martha X. de celebrat. miss. & ut habet autor epist. ad Hebr. cap. 9. v. 16.* Testamentum in mortuis confirmatum est. Nondum enim valet, dum vivit, qui testatus est. Et testamenta revocare, voluntatemq; mutare licet, usque ad extremum vitæ spiritum. *l. 4. ff. d. adiuvend. vel transf. legat.*

## II.

Et olim quidem tria erant genera testamentorum; quædam enim fiebant Calatis comitiis (a) quædam in procinctu (b) quædam per Æs & Libram (c) §. I. J. hîc. Hodie duo genera sunt in usu: Alia enim testamenta sunt.

sunt solennia & ordinaria (d) alia privilegiata, (e) & illa  
vel scripta (f) vel Nuncupativa (g).

(a) Ab antiquâ voce Calatis pro publicè convocatis, ita dicta,  
fiebatq; tempore Pacis & otii a paganis, quando coram populo  
Romano stans temporibus per præconem convocato, quis de  
familiâ suâ hoc est de hereditate disponere volebat, & senten-  
tiam suam declarabat, tum enim dicebatur testamentum Calatis  
Comitiis factum, nec aliorum testium adhibitionem desiderabat.  
(b) inde ita appellata, quia omnes, qui militabant, erant cincti,  
& soli milites cum ad prælium faciendum in aciem vocarentur,  
iis utebantur, & absque solennitate, præsentibus commilitoni-  
bus testari poterant. *Gell. lib. 15. cap. 17.* (c) quæ per imaginariam fa-  
miliæ mancipationem & nuncupationem testamenti fiebant,  
quinq; testibus Romanis puteribus & libripende, eoq; qui fa-  
miliæ emptor dicebatur præsentibus. *vid. Connan. 9. com. 1. Vult. hic  
Gædd. ad l. 159. n. 2. ff. de V. S. (d) quæ etiam pagana dicuntur, &  
communi jure fiunt. l. 3. ff. de milit. testam. in pr. eo §. ult. 7. eod. (e)  
aliàs Testamenta minus solennia appellata, qualia sunt. 1. Testa-  
mentum militare. 2. Tempore pestis. 3. Patris inter liberos. 4.  
Rusticorum. 5. Ad pias causas. 6. Coram principe, vel apud a-  
cta factum, de quibus passim in thesibus. (f) quæ in chartis vel  
membranis, vel aliâ quacunq; materiâ scribuntur §. 12. 7. hic l. 1.  
in pr. & l. 4. de bonorum poss. secund. tabb. (g) quæ vivâ voce palâm  
nuncupabantur. §. fin. 7. hic.*

### III.

In omni autem testamento ordinando duo requi-  
runtur. 1. Ut is, qui testamentum facit, habeat testamen-  
tificationem, 2. ut secundum regulas juris civilis teste-  
tur. l. 4. ff. h. t.

### IV.

Testamentum facere possunt omnes, nisi, qui pro-  
hibentur. (a)

(a) Ita enim in jure comparatum est, ut quoties quaeritur,  
quid alicui liceat in jure privato, sic definiri debeat ista quaestio,

A. 3;

quod

quod omnia cuivis liceant, si leges non prohibeant. Dn. Forst. 2.  
obj. 21. & in tract. de pactis cap. 5. n. 3.

V.

Prohibentur Testamentum facere, quidam Naturâ,  
quidam Lege. Naturâ, alii ob iudicii carentiam (a) alii  
ob morbum, eumq; vel animi (b) vel corporis. (c)

(a) Ut i. Pupilli, seu impuberes. §. 1. §. quib. non est perm. fac.  
l. 5. ff. eod. neque distinguitur, utrum milites sint, an pagani. l. fin.  
C. de testam. Cum enim in omni testamento integritas mentis re-  
quiratur, eâ autem impuberes destituantur, merito testamenta  
facere posse negantur. l. 2. ff. h. t. Excellentiss. Dn. Herdes. præcept. m.  
colend. exercit. 10. th. 8. lit. B. 2. Furiosi. d. §. 1. d. l. 2. nisi antè furo-  
rem testamentum consumant. l. 20. §. 4. ff. d. t. l. 9. C. eod. quod, si  
verò non constet, an tum temporis furor duraverit, pro testamen-  
to præsumptio militabit arg. l. 5. ff. testam. quemadm. aper. l. 1. de SS.  
Ecol. si scilicet dilucida intervalla morbus habeat, secus est in iis,  
qui semel furore correpti in eo perstiterunt. arg. l. 12. ff. de rebus  
credit. Consult. Dn. Blot. d. loc. 3. Mente capti, l. in adversâ 17. ff. h. t.  
Idemné de fatuo statuendum. eum, modò plus habeat iudicii,  
quam puer decem vel undecim annorum, testari posse statuit.  
Tesaur. decis. 92. eo, quod nulla lege prohibeatur. vid. Speckhan.  
tent. 1. quest. 43. (b) Ut prodigi §. 2. §. d. t. l. 18. ff. eod. cum enim ipsi  
bonis interdictum sit, de bonis disponere non poterit; Testa-  
mentum tamen, quod ante honorum interdictionem fecit, ra-  
tum est d. l. 16. Vasq. lib. 1. illustr. quest. 37. n. 9. (c) Ut i. Mutus ac  
surdus simul à naturâ §. 3. §. h. t. l. qui potestate. 6. §. 1. ff. eod. non ve-  
rò si quis saltè surdus sit, vel ex accidenti mutus & surdus fa-  
ctus fuerit, scribendiq; peritiam habuerit, talis enim rectè te-  
statur l. 10. C. qui testam. fac. poss. 2. Cæci, l. 8. C. eod. Hi tamen et-  
iam si per accidens & ex supervenientiâ morbi ita facti fuerint,  
testari possunt, & certas illas solennitates, quæ in l. 8. C. d. t. obser-  
vaverint. Non verò prohibentur gravitèr decumbentes, quia in  
eo, qui testatur, ejus temporis, quo testamentum facit integritas  
mentis, non corporis sanitas exigenda est. l. 2. ff. qui testam. fac. poss.  
dum



dum modò sanâ mente, liberè & spontè non dolo vel duris & importunis sollicitationibus & flagitationibus impulsî testamentum fecisse præsumantur. *l. ult. C. si quis aliq. test. prohib. l. ult. ff. eod. l. captatorias. 70. ff. de heredib. instit. Constit. Elect. August. part. 13. constit. 5. §. fin.*

## VI.

Lege prohibentur, quidam, ob defectum potestatis, (a) quidam ob pœnam. (b)

(a) Ut 1. Filiifamilias in sacris paternis constituti. *l. 6. ff. h. t. l. senium §. filium C. eod.* etiamsi pater id iis specialitèr permiserit. *d. l. 6. testamenti enim factio juris publici est, ideoq; à privatis concedi nequit. l. 38. ff. de pact. l. 13. C. de testam.* De bonis tamen castrensibus & quasi castrensibus rectè testantur. *§. fin. f. d. testam. milit.* In iis enim pro patribus familias habentur. *l. 2. ff. ad SC. maced. l. pen. & ult. C. qui testam. fac. poss.* An verò idem obtineat in bonis adventitiis, quorum usus fructus ad patrem non pertinet, ardua est quæstio? cujus negativam, tanquàm veriore contra Vaudum *quæst. 1. defendere conabor. vid. Clariss. Dn. Pres. d. disp. 7. th. 18.* Quæritur etiam hîc, utrum Vidua vivente patre testari possit? Quod de jure civili nego filia enim per nuptias à patriâ potestate non liberatur. *§. postea in fin. inst. d. SC. Tertull. l. 1. §. 1. ff. de agnosc. & alend. lib. l. 20. ff. ad l. jul. de adult. vid. l. pen. C. h. t.* quoad mores tamen hodiernos vide *Coler. decis. 41. n. 8.* Quin etiâ statuto disponi possit ut filiusfamilias rectè testetur, vix est, ut dubitem. *§. pen. ff. de jure N. G. & C.* 2. Servi. Hi enim pro nullis habentur nec juris communionem habent. *l. 2. §. 1. ff. h. t.* ideoq; rectè à testamenti factio- ne arcentur. *l. 16. ff. eod.* idem de monachis affirmandum cenfeo *auth. ingressi C. d. SS. Eccl. cap. ingredientibus 19. quæst. 3.* Ingredientes enim monasterium bona sua amittunt. *c. monachi. c. monasterii X. de statu monachorum.* 3. Capti ab hostibus *§. fin. f. qui testam. fac. poss. l. 8. in pr. ff. h. t.* & licet captivus postea rediens liber efficiatur, testamentum tamen non valet; quod conditum tum, cum testa- menti facultatem non habuit, & ideò ex post facto non convale- scit. *§. præterea f. qui testam. fac. poss. d. l. 8. in pr.* quanquam, si quis antè testamentum condiderit, & postea captus fuerit, & apud ho- stes

Res decesserit, id ex L. Cornel. valet, quæ testatorem in momento  
 captivitatis atq; ita in libertate decessisse fingit. §. *fin. 7 h. t. l. 12. ff. eod.*  
 Si autem is ab hostibus redierit, jure postliminii testamentum  
 valet, quo captivus retrò semper in civitate fuisse fingitur. §. 5. 7.  
*quib. mod. jus patr. pot. solv. l. retrò ff. de captiv. 4.* Obsides hoc est qui  
 publicæ fidei firmandæ causâ nobis ab hostibus dati sunt. *Donell.*  
*6. comm. 5. ubi Hillig. in nobis lit. E. l. 11. ff. h. t. cum pro captivis ha-*  
*beantur. l. divur. ff. de jure fisci. (b) 1. Deportati l. 8. §. si cui. 1. ff. h. t. 2.*  
 Ad mortem damnati, propter maximam capitis diminutionem,  
 quia nempè servi pœnæ effecti sunt, bonaq; amittunt. *d. l. 8. §. fin.*  
 ita ut non tantùm testari non possint, sed & eorum testamentum  
 ante factum ipse jure ad nihilum recidat. *d. l. 8. l. 13. §. 2. ff. eod. l. 6. §. 6.*  
*ff. de injust. rupt. & irrit. testam.* Hodie tamen res aliter se habet.  
 Publicatio enim bonorum & confiscatio, damnationi, excepto  
 crimine Majestatis non adhærent. *auth. bonâ damnat. C. de bonis pro-*  
*script. nov. 22. cap. 3.* & damnati retinent libertatem *Auth. sed hodie*  
*C. de donat. int. vir. & uxor. Constit. Elect. 6. part. 3. W'ssemb. in parat. hîc.*  
*n. 13. Dn. Præs. d. disp. th. 19.* Quid de bannitis sentiendum? Hic di-  
 stinguendum puto inter bannitum Imperii & certi alicujus Prin-  
 cipatus. Hic enim, licet, secundum jura istius loci ex quo pro-  
 scriptus est, testari nequeat secundum jus tamen commune te-  
 standi facultatem retinet; Ille verò quoniam maximam capitis  
 diminutionem patitur, uti habent verba sententiæ relata a *Gail.*  
*lib. 2. d. P. P. cap. 6.* Dessen Leib/ Haab vnd Gut jedermänniglich er-  
 laubet wird &c. à testamenti factione omninò repellitur, per text.  
 im Königlichem Wirbischen Landfrieden de anno 1495. rubr. die Poen  
 der Friedbrecher item Ordnung des Landfriedens zu Wormbs de  
 anno 1521. rubr. die Poen aller Friedbrecher. *Gail. lib. 1. de pac. P. c. 19.*  
*3. Hæretici l. 4. §. ergò Auth. credentes. C. de Hæreticis. Gail. d. loc. Idem*  
*de usurariis manifestis nisi cautionem de restituendis usuris tri-*  
*bus præstiterint, affirmat Vasq. 1. de Success. progress. §. 1. n. 178. per, 6.*  
*quanquam circa finem ubi C. C. de usuris in 6.* Infames verò rectè te-  
 stantur *Clarus. §. testamentum, quest. 25. n. 1. per. l. 1. C. de secund. nupt.*  
 Item excommunicati *Vasq. d. loc. n. 120. & Meretrices Reusn. voll. part.*  
*2. de Testamentis cap. 23. in pr.*

7. Deinde

## VII.

Deindè attendendum est, an etiam is, qui testamenti factionem habet, secundum regulas juris testatus sit. In testamento ergò perfecto, tam solenni, quam minus solenni requiritur legitima testium adhibitio, & ipse testationis actus.

## VIII.

In testium adhibitione consideratur. Primò testium persona, seu status, ut scilicet testes sint habiles, ad ad testificandum, quales sunt omnes, qui nominatim non prohibentur. (a) Prohibentur autem aliqui, vel Naturâ, (b) vel Lege. (c)

(a) Vult. in §. possunt n. 10. §. de testam. ord. (b) Ut impubes, furiosus, & prodigus §. testes §. hic l. 18. l. 20. §. 4. & l. 16. ff. t. ut & mutus & surdus, d. §. testes d. l. 18. l. 1. ff. si quis omis. caus. testam. item cæcus, quod in testamento specialiter est receptum, cum subscribere nequeat, & necessarium quoque sit, ut testes videant testatorem. l. si non speciali. C. h. t. (c) 1. ob sexum, ut mulier d. §. testes. l. 20. §. 6. ff. h. t. Testamentum enim domi quidem in comitiis vel per æs & libram, foris autem in bello & in procinctu fiebat, quorum omnium communionem fœmina non habet. Clariss. Dn. Præf. d. loc. th. 11. & quamvis solennitas illa hodiè in usu amplius non sit, remansit tamen in muliere ista legis prohibitio. Vultej. 1. §. R. cap. 73. n. 46. 2. Ob statum, ut Servi d. §. testes. d. l. 20. §. 7. In his enim, quæ per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest. l. 175. ff. d. R. §. Deindè servus expers est omnium solennium juris civilis. l. qui testamento 20. §. servus. ff. qui testam. fac. poss. nec civis est, neque jus comitorum, nec personam civilem habet. l. 3. ne quis eum, qui in jus voc. nec caput. l. 3. de cap. dimin. nec jus dicendi testimonii. l. servos 6. l. eos C. de testib. nec jus annulorum. l. ad testium. 22. eod. ubi Cuj. eo ut cives representare, testati, signare ritè non possit; nisi tempore facti testamenti communi opinione liber habitus fuerit. §. 7. §. de testam. ord. l. 1. C. eod. Nam testium conditio eo tempore, quo testamentum fit spectatur. l. 22. §. 1. ff. h. t. Ex-

B

cellen-

cellentiss. Dn. Herdes. d. loc. th. 13. lit. E. Anet Monachi? Nego, quamvis aliàs in jure à Servis ad Monachos validum sit argumentum. Clarus. §. testamentum. quest. 55. n. 7. Farin. quest. 61. n. 126. 3. Filiifamilias in testamento Patris. Reprobatur enim don.esticum testimonium. §. 10. f. hîc, ne videatur privatus actus, qui publicus esse debet. Wesemb. ad d. §. 10. Domesticum autem testimonium hîc ex potestate & unione æstimatur, ad eosq; saltē restringitur, qui sunt in potestate, & familiâ l. pronuntiatio. §. 1. ff. de V. S. §. in testib. f. h. t. Vigl. in §. pater. n. 4. f. d. t. Emancipatus verò filius, frater, maritus, & alii testes rectè adhibentur §. 9. f. hîc. l. qui testamento. 20. ff. qui testam. fac. poss. quia hi testes heredi potius sunt, quàm testatori, clariss. dn. pres. d. loc. th. 9. 4. Hæres scriptus §. sed neq;. f. d. t. d. l. 20. in pr. quia nemo idoneus testis in re suâ esse intelligitur. l. 10. ff. de testib. legatariis tamen & fideicommissariis testimonium non derogatur. §. 11. f. hîc. d. l. 20. in pr. id quod etiam procedit in testamento nuncupativo d. §. 11. d. l. 20. Lex enim generaliter loquens etiam generaliter est accipienda, l. 9. ff. de publ. in rem act. Clariss. Dn. preses. d. loc. th. 10.

### IX.

Deindè legitimus testium numerus, qui in testamento est septenarius, (a) ita, ut vel uno deficiente totum testamentum vitietur (b).

(a) §. 3. f. hîc. l. 21. C. h. t. idq; propter majorem testam. entorum sinceritatem fraudumq; evitacionem §. 4. C. d. t. l. fin. §. 4. C. de fideicom. heredit. clariss. dn. pres. d. loc. th. 3. Cur autem septenarius numerus præcisè requiratur? variæ à variis adferuntur rationes, de quibus vid. Arum. exerc. 7. th. 10. (b) ex præscripto scilicet juris civilis l. si unus. C. h. t. & ex constit. Imper. à Maximil. promulg. R. A. Colon. de anno 1512. tit. von den Testamenten/ §. Und sollen die Notarien. Dauth. de testam. tit. de testib. testament. n. 420. De jure etenim Canonico duo testes cum Parochiano aut ejus loco duobus aliis, sufficiunt cap. cum esset. X. de testam. Dictum autem est in testamento Solenni. Nam in testamentis minus solennibus numerus ille relaxatus est, cujusmodi. i. est Testa-

Testamentum militare, quod coram paucioribus testibus factum subsistit. *l. 12. D. de testib. & insuper etiam multa propria & singularia jura habet, de quibus t. t. ff. & C. de testam. milit. 2. Testamentum tempore pestis factum, in quo quinque testes sufficiunt. l. 8. C. de testam. quod si tamen testatoris domus infecta vel ipse testator peste correptus sit, duorum testimonio testamentum firmatur. Vultej. d. loc. n. 26. vid. Dauth. d. loc. n. 420. 3. Testamentum ad pias causas, ubi etiam duo testes sufficiunt. cap. relatum. X. de testam. ibi Covarruv. Tiraq. privileg. pia causa. 1. 4. Testamentum rusticorum, ubi quinque testes sufficiunt. l. f. in C. de Testam. de jure Saxonico dispositio rustici coram duobus testibus facta valet. vid. Coler. decis. 35. n. 4. 5. Testamentum patris inter liberos ubi duo tantum requiruntur testes. l. 21. §. ex imperfecto. C. h. t. Clarus. d. l. quest. 9. vel etiam planè nulli, si testatoris manu testamentum in schedà scriptum fuerit. l. fin. C. fam. berciscunde Gail. 2. obs. 112. clariss. dn. Præses. d. l. th. 5. Sed hoc tamen ita, si prius vel ex scripturâ Parentis, vel testibus minimum duobus constet, esse supremam voluntatem, quam ille servare voluerit, inter liberos. Clarus. d. l. quest. 24. Wesemb. consil. 29. n. 37. 6. Denique testamentum coram Principe factum l. 19. C. de Testam. quod sine testibus valet. Præsentia enim Principis, purgat omnne vitium, & omnem fraudis suspicionem tollit. idemque juris est in testamento apud acta judicii facto. d. l. 19. constit. Elect. part. 3. cap. 5. in fin. Hic subjungo illam quæstionem, utrum testium numerus statuto minui possit? & quia solennitas hæc septem testium ex jure civili solùm est introducta. d. l. 21. C. h. t. ea autem, quæ jure civili disposita sunt, contrariâ dispositione ejusdem juris tolli possint §. penult. J. de Jur. nat. 8. & C. l. 36. ff. d. R. 7. non est ut dubitemus, id fieri posse. vid. Gail. lib. 2. obs. cap. 123. clariss. dn. Præsid. d. loc. th. 6.*

X.

Tertiò Præsentia, circa quam duo consideranda.

1. ut testes ad testamenti confectionem sint rogati
- (a) 2. Ut testatorem cognoverint (b).

B 2

(a) l. 21.

(a) l. 21. *Auth. rogati C. de testam. Novell. 9. cap. 2. X. N. in Collin de anno 1512. tit. von Testamenten. §. Es ist auch. Dauth. d. loc. n. 418.* & hæc rogatio, utpote solennitas extrinseca non præsumitur, sed probanda est l. *quæcunq; §. fin. ff. de public. in rem act.* unde etiam Notarii Testamento confecto hanc formulam adjicere consueverunt. Testibus præsentibus adhibitis, & rogatis. In Testamentis autem militum etiam non rogati testes, sed qui fortuito intervenerunt, rectè adhibentur. Sicuti etiam in testamento patris inter liberos. *H. Pist. part. 1. quest. 1. n. 2.* nec in testamento ad pias causas. *Tiraquell. privil. pie cause. 3.* (b) non per auditum tantum, sed & per visum, l. *si non speciali. ubi Dd. C. h. t.* unde noctu quidem Testamentum confici potest. l. 22. §. 6. ff. *h. t.* necesse tamen est ut tria accendantur lumina *arg. l. 1. §. 10 ff. de ventr. insp. Consultiss. Dn. D. Blotius d. loc.* Hinc infertur si testes in testamento adhibiti de causâ scientiæ respondeant se scire, quia audiverint, nihil probare, sed opus esse, ut dicant, se scire, quia viderint. *Reusn. part. 3. de testam. cap. 13.*

## XI.

Quartò denique contestatio, ad quam refero 1. Subscriptionem, (a) 2. Subsignationem. (b)

(a) § 3. §. *h. t. l. 21. C. eod.* ut scilicet in fine testamenti nomina sua subscribant, idq; in tantum, ut si testis nomen suum non adscripserit, pro non adhibito habeatur. l. 22. §. 4. l. *pen. ff. qui testam. fac. poss.* quod si testis ipse scribere nequeat, rogabit alium, qui nomine suo subscribat. *Vult. d. loc. n. 36.* (b) Et quidem quilibet suo nomine d. l. *pen.* quamvis omnes unico uti possint annulo, §. *possunt ibi Dd. §. hic.* immò & ipsius testatoris annulo, ita tamen, ut si alienus sit, vel Testatoris annulus, de eo in subscriptione fiat mentio d. §. *possunt l. si unus. C. de Testamentis.* An autem Testamentum alio etiam signo quàm annulo signatorio signari possit? difficilima est quæstio, cujus negativam, tanquam veriore amplector. l. 12. *C. de testam. l. 22. §. 1. ff. eod.* annuli siquidem adhibitio ad juris solennitatem pertinet. Solennitas autem ommissa vitiat actum in omni dispositione. *Bald. lib. 1. consil. 317.* Et si admitteretur equipollens, nihil esset in jure solenne. *Timæus Fab. disp. 18. th. 7.*

Clariss.

Clariss. Dn. Præs. d. loc. th. 8. De consuetudine tamen hodiernâ alia  
signa admittuntur, nec tam præcisè annulus requiritur. Accurs. ad  
l. 22. §. 5. ff. qui testam. fac. poss. Mynsing. ad §. 5. n. 3. §. h. t.

## XII.

Ipsam testationis actum quod attinet, in eo confi-  
dero 1. Expressam heredis institutionem (a) 2. Scriptu-  
ram (b) 3. Unicum contextum (c) 4. Temporis anno-  
tationem (d) 5. Denique obfignationem & subscriptio-  
nem propriam. (e)

(a) Quæ caput & fundamentum est Testamenti. §. 24. §. de  
legat. §. 10. §. h. t. l. 1. ff. de heredib. instituend. l. fin. ff. de jure codic. l. 1. in fin. ff. de  
vulgar. & pupillar. substit. ex qua testamentum vires accipit. d. l. 10. de  
jure Codicili. & inutile est ea omissa, in tantum ut ne miles quidem  
sine eâ testamentum facere possit. §. 1. Instit. de testam. milit. Ne-  
cesse autem est, ut sit expressa, hoc est, ut nominatim & verbis  
expressis testator heredem instituat. l. jubemus in pr. C. h. t. (b) Sivè  
ipse testator, sivè Notarius, sivè etiam alius privatur scribat, mo-  
dò id fiat nomine testatoris. §. 4. Instit. h. t. l. 21. C. h. t. Nov. 119. cap. 9.  
Nec hodiè nuncupatione heredis in testamento scripto opus est.  
Auth. observatur. C. h. t. Nihil autè interest, an testamētum in chartâ,  
an in membranâ, vel aliâ materiâ conscribatur, modò legiqueat.  
§. nihil autem. §. de testam. ord. l. quoniam C. eodem. Et possunt etiâ duo  
conjunctim in eadem chartâ testamentum & mutuam institu-  
tionem facere. Mynsing. 1. obs. 8. Gail. 2. obs. 117. Nec tamen unâ illarum  
institutionum revocatâ, etiam revocata censetur altera Dn. D. Blo-  
tius d. loc. Et hæc quidem vera sunt in Testamento scripto, Testa-  
mentum enim nuncupativum scripturam non requirit, sed ex-  
pressam nuncupationem heredis, quæ ita fieri debet, ut exaudiri  
queat, verbis scilicet expressis, non conjecturis & præsumptio-  
bus. l. jubemus C. h. t. l. 57. §. cum plures. ff. de legat. 2. Et hæc voluntas  
ita nuncupata, mortuo deinceps testatore per testes coram iudice  
vocatos exponitur. Dd. ad §. fin. §. de testam. ordin. Potest etiam hæc  
voluntas ita coram septem testibus exposita, statim per Nota-  
rium in scripturam redigi, ad fidem rei gestæ, ut scilicet, si dece-  
dant:

dant testes publico instrumento probetur, eos adfuisse, testato-  
rem vidisse, ejusq; voluntatem audivisse. An autem Testamen-  
tum Nuncupativum in scripturam redactum Nuncupativum  
maneat quæstionis est? Affirmativa mihi placet. Non enim ex  
eo solo, quod scribitur Testamentum scriptum æstimandum est,  
sed ex mente & animo testatoris. *Vult. ad §. fin. §. h. t. n. 5. (c)* Cujus  
tres partes. 1. Ut omnes, qui ad testandi actum adhibentur, & te-  
stator & testes simul maneant, quoad suprema contestatio per-  
agatur *l. 20. §. 8. ff. h. t. l. casus. C. de testam.* 2. Ut actus fiat uno eodem-  
que tempore *l. 21. C. d. t.* 3. Denique ut nullus actus extraneus,  
impertinens & remotus à testamento interveniat. *§. 3. §. h. t. l. 21. §.*  
*ult. ff. eod. nisi is actus levis sit, quemq; necessitas valetudinis vel*  
*naturæ expresserit. l. antiquitas. C. h. t.* Movetur autem hîc ardua  
quæstio, Utrum nimirum contractus in testamento celebrari  
possit? Id quod regularitèr fieri posse nego, cum contractus pla-  
nè diversum quid sit à Testamento. *l. 20. ff. d. v. s. & ab alterius de-*  
*pendeat arbitrio. l. 19. ff. eod. vid. Dn. Pres. d. loc. th. 7.* quod, si tamen  
contractus aliquo modo ad testamentum pertineat, nec planè  
naturam actûs testandi absorbeat, in testamento iniri potest, pu-  
ta, si testator unam partem prædii vendat, isque cui pars ista est  
vendita consentiat, alteram verò partem leget. Aut si testator  
jubeat heredem institutum restituere aut solvere certam pecu-  
niam illi vel illi, & eo nomine omnia bona sua obliget. *vid. l. 12. ff.*  
*de aliment. vel cibor. legat. (d)* Ut scilicet annum, mensem, diem &  
alias solennitates, quæ in instrumentis etiam exiguntur, non o-  
mittat. *Auth. quod sine. ibi Dd. C. h. t. Consult. Saxon. lib. 3. quæst. 3. (e)* ni-  
si ipse testator manu suâ totum testamentum scripserit. *d. l. cum*  
*antiquitas. §. fin. & nisi scribendi planè sit ignarus hoc enim casu*  
*præter illos septem testes, octavum adhibeat, qui pro ipso*  
*subscribat. d. l. hâc consultissimâ 21. C. h. t.*

Hîc pedem figo: &c.

Optatæ spirant auræ datur hora quieti.

S. D. G.

AD





*Ad Præstantissimum & Doctissimum Dn.  
Respondentem ZACHARIAM CRUSIUM,  
commensalem & amicum haut fucatum.*

SÆvit terribilis MARS, bellaq; tractat ubique,  
Invisa bella matribus:  
Sanguine MARS rabiem nequit (heu) satiare nefandam,  
Sacris locis nec abstinet.  
Attulit exitium multis templisq; scholisq;  
Et damna multis afferet.  
Gratia JOVA tibi, quod nostra ACADEMIA, multis  
Celebris annis salva sit:  
In qua DIVINI VERBI benè DOGMA docetur,  
Periti & ARS MACHAONIS.  
Et proponuntur spatiosa VOLUMINA JURIS  
Et explicantur optimè.  
Unde est hîc juvenum doctorum sedula turba,  
Et arte multâ insignium.  
Quæis magis arident PHOEBI, quàm castra GRADIVI;  
Testudo, quàm clangor tubæ.  
Quos inter tu non postremus es, optime CRUSI,  
PATROCLE amande plurimùm.  
Hactenus & THEMIDIS nutritus es ubere largè,  
Legum & vales scientia:  
Et jam conscendis cathedram pro more recepto,  
Specimen daturus ingenii:  
De TESTAMENTIS doctùm responsa virorum.  
Das ORDINANDIS omnibus.

Vos

Vos ô AONIAE Musæ sacrate clientem  
Et ferta fronti nectite.

PHOEBE tuam pulsa citharam; POLYHYMNIA dulcis  
Intende nervos barbiti.

Vestraq; vos reliquæ conjungite vota SORORES,  
Precando fausta CRUSIO.

O CRUSI summus fortunæ cœpta JHOVA  
Et addat exitus bonos.

O PATER omnipotens cōnatus dirigat omnes,  
Ex corde jam meo precor.

f.  
*Johan-Henricus Helman*  
Osterod. M. St.

F I N I S.



153709


AB: 153709

X2615956

Retro ✓


VD17





15





...O JURIDICA

# ...MENTIS

...ANDIS,

...T AUSPICE

*...lemiã VVittebergicã*

...ESIDIO

...ONSULTISSIMI

## ...NI Grembergs

...utorismeihonorandi

*...ndere conabor*

### ...KRAUSE

...o-Silesius.

...anno M DC XXVIII.

...RGÆ

...NIS AUERBACH.

